R. 17. 88. 71.

Si pro gemino beneficio, iisdem litteris, gratias tibi nunc agam, Virorum
nobilissime, recentium potius, quam veterum videbor meminisse. Auctori-
tate enim tua, quam summam tibi in optimi maximique Principis aula
excellens virtus tua et ingenium fecit, aurea decoris munera iterum
referre mihi licuit, tam non merenti, [illegible], quam non exspectanti. Et
quidni auctam Soceri mei, integerrimi senis, dignitatem eidem debeam impu-
tare? Ita enim sentit ipse, et nos agnoscimus, et eo nomine ceterum
omnes debitores sumus. Equidem pluribus magnitudinem gratissimi
animi in sinum tuum hic effunderem, si post tanta et pristina tot in me
merita novas gratiarum agendarum formulas quantilla facundia mea
reliquisset. Itaque, quod pace tua fiat, ad alia me converto, et
tibi in castris agenti bellum non tantum indictum nuncio, sed iam geri. Enim-
vero superioribus diebus nonnemo, sine nomine tamen et tribu, Typographo
Leidensi tradidit dissertationem satis longam, qua illam elegantissimam tuam
de Musicis instrumentis in Christianorum Ecclesias admittendis ita est aggressus,
ut dubitem an impudentia eius an inscitia sit maior. Nam utrumque excellens
proprium pridem terrigenarum esse, non ignoras. Ac proinde, licet hostis
tuus lectus tibi nondum aut visus sit, victoriam tibi certissimam, quin
et inde perpetuam nominis, si quod habet, infamiam audeo polliceri. Nam
nomen quidem dissimulavit. Quod unum prudenter fecisse videri potest.
Ubi prodiisse insulsum opus intelligam, exemplar eius continuo ad te transmittam,
quamvis multum dubitem, an tali id honore debeam dignari. Quae de Helle-
nistica controversia leges, Voetium, ut fama est, auctorem habent. Vale,
Vir illustris, et me, qualem semper talem agnosce, totum tuum. Raptim
Lugd. Bat. CIↃIↃCXLI, Octob. XII.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Illustri tuo nomini

dicatissimus

Marcus Zuerius Boxhornius.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2890

Illustri Viro,

CONSTANTINO HUGENIO,

Equiti, Domino in Zuylichem, celsissimo Principi Auriaco à consilijs et secretis.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Boxhorn) 8
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2890